



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Impossibile.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

excusat ab hac censura. *ibid. punct. 10. num. 1. & seq.*

26, Nullus Confessarius potest absolutionem à censura contracta ob violatam Ecclesiæ immunitatem, virtute aliquis privilegii conferre. nisi facultatem ad hunc effectum obtinuerit post decretum Clementis VIII. Probabile tamen est, posse Episcopum absolvere, modò facta sit restitutio, & satisfactio à delincente. *ibid. punct. 11. n. 1. & 2.*

Impossibile.

Impossibile dicitur, quod non potest fieri justè, aut honestè aut commodè, vid. Syl. *ver. impossibila.*

Impotentia.

Vide v. *Matrimonium.*

Incestus.

Vide v. *Matrimonium.*

1. Incestus est congressus cum persona cognata intra gradus, in quibus non potest celebrari matrimonium, de quibus vide v. *Matrimonium.* Eò gravius est hoc peccatum, quo persona cum qua copula habetur, est magis conjuncta. *tom. 1. de iis, qua pertinent ad usum matrim. q. 4. punct. 16. n. 5.*

2. Omnes gradus & omnes incestus sunt ejusdem speciei, quidquid sentiant multi DD. in contrarium. Gradus incestus exprimendus est in confessione. *ibid. n. 6 & 7.*

3. Confessarius cognoscens carnaliter peccitentem, non committit incestum: modò Confessarius non sit proprius parochus à quo receptus sit Baptismus: committit tamen speciale peccatum parochus habens copulam cum sua parochiana: nam peccat contra proprium officium, vi cuius tenetur procurare salutem suorum parochianorum. *ibid. n. 10.*

4. Incestus commissus cum consanguinea uxoris duos saltem parit effectus; quippe ut ille qui committit incestum, non possit petere debitum à suo conjugè; utque post mortem uxoris non possit aliam ducere absque dispensatione. *ibid. num. 12.*

ADDI.